



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Innocentivus Tertivus Auxitan. Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

LITTERAE APOSTOLICAE
DIVERSORVM SVMMORVM
PONTIFICVM

Pro officio Sanctissimae Inquisitionis.

INNOCENTIUS TERTIVS

Auxitan. Archiepiscopo.

Hortatur Episcopos, vt studeant diligenter haereticos vniuersos de suis Prouincijs excludere. item vt sine appellationis remedio per districtionem ecclesiasticam coerceant eos, qui cum haereticis habent commercium, aut familiaritatem.

INTER cetera, quae nauiculam Petri fluctuantem in Mari concutiunt diuersarum turbine procellarum, illud animum grauius nostrum affligit, quod licentius, & perniciosius solito contra orthodoxae fidei disciplinam ministri diabolicae prauaricationis insurgunt, iuxta quod beatissimus Apostolus Paulus Doctor gentium exprimit in eulogio epistola sua: simplicium animas miserabiliter illaqueant, & post se trahunt in damnationis interitum, ac superstitionis, & fictitijs adinventionibus factarum scripturarum intelligentiam peruertentes, Ecclesiae Catholicae unitatem rescindere moluntur. Quoniam autem pestis huiusmodi erroris, (sicut ex tua, & plurium assertione cognouimus) in partibus Vasconiae, ac circumpositis terris fortius inualefcit, per tuam ac aliorum coepiscoporum & tuorum industriam huic morbo tanto efficacius volumus obuiari, quanto magis est timendum, quod pars sincera trahatur; & ex tali contagione, quae paulatim, veit cancer, irrepit, mentes fidelium inquinentur corruptela vitio generalis. Idemque fraternitati tuae praesenti pagina indulgemus, per Apostolica scripta firmiter iniungentes, quatenus ad extirpandas haereses vniuersas, & eos qui sunt hac fece polluti, de Prouincia tuae finibus excludendos, modis quibus poteris, operam tribuas efficacem: in ipsos, & omnes illos, qui cum eis aliquod commercium, aut manifeste superstitionis familiaritatem contraxerint, sine appellationis obstaculo ecclesiasticae districtionis exercendo rigorem, & etiam (si necesse fuerit) per principes, & populum eisdem facias virtute materialis gladij coerceri. Dat. Lateran. Kalen. Aprilis.

Circa annos Domini 1300.

Ex Innoc. III. epistolari Regesto impresso. folio 38 & fol. 134. & seq.

Hoc tempore nondum erant Inquisitores de legatu constituti.

IDEM INNOCENTIUS III.

N. Archidiacono Mediolanensi.

Haeretici ad nullas dignitates, & consilia admittantur, nec habeant actionem eligendi alios: magistratus vero seculares ad id seruandum iuratoria cautione compellantur (si opus fuerit) per sententias excommunicationis, & interdictis.

HIS; quae ad ampliandam fidem catholicam, & reprimendam prauitatem haereticam statuuntur, auctoritatem nostram libenter impendimus, & fauorem. Sane, sicut accepimus, dilectus filius noster G. Sanctae Mariae in Porticu Diaconus Cardinalis dum legationis fungere officio in partibus Lombardiae, de Consilio Venerabilium fratrum nostrorum Mediolan. Archiepiscopi, & Episcoporum, qui ad eum Veronae conuenerant, & quorundam etiam sapientum instituit, vt de cetero haeretici ad consilia, & dignitates Lombardiae nullatenus admittantur, nec eligendi alios eis arbitriū cōferatur, nec in eligendis personis ad eas vocē debeat aliqua obtinere. Ad id autē seruandū in posterū potestates, cōsules, cōsilia Lombardiae adstringēda constituit iuratoria cautione, & ad recipienda iuramenta eorum in quibusdā ciuitatibus deputauit, indulta tibi libera facultate cōtinentes excommunicationis, & terras eorū interdicti sententijs ferendi. Nos igitur quod ab eodē Cardinali prouida deliberatione statutū est, ratum habentes, & iuxta mandatum eius à ciuitatibus illis super hoc exigas, & recipias iuramenta, ad quas te ipse duxerat destinandum, iniungimus, auctoritate tibi praesentium indulgentes, vt contradictores excommunicationis sententia ferias; & terras eorum subijcias interdicto. Nulli ergo, &c. Datum Romae, apud sanctum Petrum. xvij. Kalen. Iulij.

Ex Regesto eiusdem Domini Innoc. III.

Concord. Excommunicatus & c. de iure l. y. de i. p. q. 123.

A IDEM